Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 401
Quelle:
Copyright:

Porretani, qui eodem initio usus est. Ipse demum Commentarius sic: *Apokalipsis ihesu christi — In hoc proemio tanguntur IIII. cause introductorie in hunc librum* &c. Tota tractatio Scholastici est, et quidem *Franciscani*; nam in C. 1. v. 13. ita commentatur: *Similis ille filio hominis in medio candelabrorum VII. Sanctum Franciscum significat. — Dicitur autem sanctus Franciscus similis filio hominis id est Christo propter V. rationes. Videlicet propter conuersationis imitationem* &c. Hujus Sodalitii *Astesanus*, *Alex. Alensis*, D. *Bonaventura*, *Johannes Anglicus*, *Gualensis*, et *de Rupella*, *Ubertin. de Casali* et *Vital. de Furno* in *Apocalypsin* commentati feruntur, sed nemo typis vulgatus praeter *Alensem*, qui ad manum non est; unde Autorem edicere non opis est nostrae. Ad calcem: *Finito libro prece reddite iura magistro.*

VI. *fol.* 60. p. 2. *Apocalypseos* Ostenta LXI. Versibus exposita, quorum initium:

E septem visis rebus docet apocalypsis.
Corrigit in prima, librum reseratque secunda.
Visio terna cubat, mulier quarta quoque pugnat,
Quinta tenet phialam, sexta dampnat babilonem,
Septima cuncta nouat atque beatificat.
Producunt mira septem reserata sigilla
Albus equus gayum, ruphus signatque neronem,

Inde per Imperatores, Pontifices, Expeditiones in *Palaestinam* usque ad finem Sec. XII. fit progressio, et ita concluditur:

Tempore cunradi (III) *sunt centum milia cesi.*
Vidit captiuos Fridericus (I) *liberat illos,*
Quos uidit uiuos, regnabunt mille per annos.
A constantino nongenti suntque triginta
Completi, restant conplendi septuaginta.
Celum, terra noua sequitur quoque uita beata.
Hinc noua ierusalem, cristallinum quoque flumen.
Fratrum religio flumen fluit ore docendo.
Quilibet arbitrio dimittitur, atque minatur
De prope iudicio. sit laus et gloria cristo.

Ducto igitur a *Constantini M.* anno primo calculo Versus hi compositi sunt a. 1236. cui anno si 70. addas, *Coelum* et *terra nova* sequi debuissent a. 1306. quem motus *Helvetici* exceperunt. Cetera Lector nullo negotio sibi exponet.

VII. *fol.* 61. absque titulo Vocabularium, sive Expositio Vocum